

1
2
2
3
3
3
3



1769.

27. Hame, Christianus Carolus : De nuptiis contractum
et baronum ob conjugis conditionem inaequalem infus.
tis

28. Schmidtius, Christianus Henricus : De lege altera
Tarpeja

29. Schott, Augustus Fredericus : De iusto praescriptionis
tempore in patris hereditate petenda liberis defi-
nito.

30. Sezerus, Joh. Theophilus : De sectione cadaveris
occisi. Joh. Theophilus.

31. Sezerus, Augustus ~~Fredericus~~ : De successione edito.

32. Sezerus, Joh. Theophilus : De conjunctione loci et suffra-
gii in comitiis provincialibus cum dominis praedictorum
nobilitatem.

33. Sezerus, Joh. Theophilus : Tribus quaestiones de
foro militari in Saxonia

34. Sezerus, Joh. Theophilus : De obligatione rusticorum
ad operas per praescriptionem acquirenda vel tollenda.

1769.

35. Niglig, Christianus Ludovicus, fac. jur. pro cancellarius
familie negotantibus aut eorum mortuorum haereditibus
mercedem integram annuam proestantem, atque sortem
pro eorum salute recuperanda solvendam esse. Pro-
gramma, quo solennia doctoralia Joh. Jac. Hum. Herman-
ni indicit.
36. Zeller, Fredericus Gottlieb, fac. jur. pro cancellarius
An ob spontaneam delinquentis, post tormenta super-
rata, confessionem, poena ordinata locum habeat?
Programma, quo solennia doctoralia Caroli Benja-
mini Haffelii indicit.
37. Zellerus, Fredericus Gottlieb: De jure canoniarum
banianarum.
38. Zellerus, Fr. S. Gottlieb: Quaedam capita fudi
quod Germania vocatur ein Lehn-Haum.
39. Zellerus, Fr. S. Gottlieb: Utrum delictori, quem minor
ob vitiosum tutorem salutem nequeam convenit, contra
tutorem competat regressus?

1769.

40. Zallerus, Fridricus Gollub: De coheredatione
bona mente facta.
41. Zallerus, Fridricus Gollub: Analecta de jure
retractationis speciatim foro Saxonico acco-
modata
42. Zallerus, Fridricus Gollub: Utrum delictor,
qui solutionem in chirographo promissit, exceptio-
ne compensationis et huc ali queat?
43. Zallerus, Frid. Gollub: Utrum vidua, quae
existentibus liberis portionem hereditariam pe-
tit, propria bona conferre tenetur?

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



14
1769, 277
A

DE NVPTIIS
COMITVM ET BARONVM
OB CONIVGIS CONDITIONEM

INAEQVALEM INIVSTIS

P. 305,

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

VT SIBI ADITVM AD

SVM MOS IVRISPRVDENTIAE HONORES

APERIAT

A. D. XXXI. IANVAR. CIOIOCLXIX

H. L. Q. G.

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT
CHRISTIANVS CAROLVS KANNE

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



DE NAPTIS
COMITUM ET BARONUM
ES CONIVIS CONDITIONUM
INAEVAEM INIVIS

INIVIS-IVISIA ORDINIS AVTORITATE
AT SIVADIVIS AD
STIMOS IVISIVIVENTIAE HONORIS

A. O. XXXI JANUARII CXXXIII
M. J. C. C.
COMITUM CVM FRVDITIS HABENT
CHRISTIANVS CAROLVS KANN

LIBSIAE
EX OFFICINA LANTHORNIA



20
2



Et si matrimoniorum imparium commemoratio frequentissima apud Germanos, ea tamen quae sint, et quibus personarum notis agnoscantur, tam dubium est atque incertum, ut in comitiis Electorum, in quibus Imperator creatus Carolus VII., Treuirensē et Brandeburgum^{a)} iustam eorum definitionem in primis desiderasse, deinde etiam a collegio Electorum commendatam esse nouo Imperatori dubiorum istorum deliberationem, transactionemque nouerimus publica Procerum consensione ineundam. Quicquid vero sit, quod se ex administro quodam Caesaris percepisse testatur MOSERVS, b) cur nolit Augustus nobiles inferioris ordinis a Principum forte connubiis publica sanctione excludi, quo Proceres procliuios futuros esse, quidam non inualidis rationibus ducti conuiciunt, nondum de ea tota re lex lata est, nedum perlata, adeoque omnia ad hunc diem incerta diuersas eruditorum sententias saepe experiuntur. In his etiam Comitum matrimonia Baronumque crebris disputationibus materiam praebuere, et vtrum noua lex inter Augusta priuilegia Caroli VII. Imperatoris proposita ad eos quoque, an ad Principum tantum libertatem in deligendis vxoribus coercendam pertineat, potest non ineptis argumentis in vtramque partem disceptari. Quae et si multis locis, sparsim commemorata, ab aliquibus

A 2

etiam

a) MOSERVS *ad Capitul. Car. VII. P. II. et I. P. Germ. P. XIX. L. III.*

§. 58.

b) *l. 1.*

etiam iunctim collecta et ex instituto disputata, cum tamen non indigna visa sint, quae denuo repetita partim confirmarentur, partim debilitarentur, constituimus hoc labore defungi, eoque nisi ingenii, quod in nobis est exiguum, certe diligentiae nostrae et qualiscunque Germanici iuris peritiae, quod nunc maxime a nobis postulatur, specimen exhibere.

§. I.

Initio Germani in connubiorum iuribus aestimandis, ciuitatem magis coniugum libertatemque, quam dignitatem et nobilitatem parentum respexisse videntur, sic tamen, vt nec huius omnem rationem abicerent, nec peregrinitas omnino esset inuisa. TACITVS^{a)} quidem eorum opinionibus accedit qui Germaniae populos nullis aliarum gentium connubiis infectos, propriam et sinceram et tantum sui similem gentem extitisse arbitrantur. Quis vero, qui apud eundem deductos olim Italos cum Tencteris legerit connubio sociatos, aut Geuam Danicam Vitichindo, Gunzelino Misnensi Polonam post illa TACITI tempora matrimonio iunctam^{b)}, certe in iis gentibus, quae regnatae sunt, reges eorumque agnatos atque gentiles, quis illos veteris Germaniae nobiles, praeter quos nullam generis nobilitatem nouerunt, ab omnibus exterarum nobilium foeminarum nuptiis, toties ex causa salutis publicae expetendis, credit abstinuisse, quanquam facile mihi persuadeo, minore libertate priuatos in ambeundis vicinarum coniugii usus esse, veritos, ne ab externa nati paternae olim hereditatis exfortes haberentur. Caeterum, et mulieres clarorum in primis virorum nuptias appetiisse adeo, vt nobiliores etiam compluribus ambirentur, malletque virgo Germanica laudatissimi viri coniugio diui-

a) de Mor. Germ. Cap. IV.

b) HEINECCI Elem. Iur. Germ. L. I. T. X. §. 204. et AYRER D. de Iur. connubior apud veter. Germ. §. 6.

diuifim cum pluribus aliis frui, quam fola in ignoti hominis eam uice depereuntis matrimonio collocari, tralacitium eft; nec, quanto quisque maiorem in fuo populo dignitatem aut parare fibi aut tueri videbatur, tanto meliorem dignioremque uitae fociam, tantoque potentiores atque illuftriores affines eum delegiffe, ambigitur, quod tamen utcunq; neglectum effer, fiue vir facinoribus clarus obfcuro parentis filiam, modo ingenuam, fiue nata illuftri loco virum nec factis nec maioribus inclutum fibi adiungeret, id genus matrimonii aut ad dignitatem mariti cum vxore communicandam inutile, aut auctorum praediorum heredibus gignendis impar et inidoneum fuiffe, non conftat. Quid? quod fi eam quis opinionem induxerit, poteft efficacibus argumentis ipfisq; legum antiquarum fationibus ea conuelli.

§. II.

Etfi enim TACITI iam aetate reges ex nobilitate fumti^{a)} fueruntque tot faltem in Germania familiae nobiles, quot regna, etfi etiam in ifta honefta mulierum Germanicarum ambitione, vix potuit fieri, vt e regia profapia oriundus princeps cum ignobili vxore, aut per parentis obfcuritatem matrimonio tanto indigna, coniungeretur, tamen, fi quam eiusmodi domum duxiffet, populum in futuris regibus eligendis praeter paternam nobilitatem virtutem magis filiorum, quam matris originem in oculis habuiffe, vel id argumentum eft, quod et medio tempore, poftea quam clientelalis difciplina maiorem in dignitate connubii conseruanda euftodiendaque curam inuexerat, ex impari matrimonio nati, dum non ex ancillis fufcepti effer, a paternis beneficiis nequaquam exclufi^{b)}, ipforumque regnorum et principatum

A 3

um

a) de M. G. Cap. VII. GEBAVERVS de nobilitate veterum Germanorum.

b) v. imprimis BOEHMERI D. de impari matrimonio et iure liberorum ex eo natorum circa fucceffione feudalem.

um subinde iusti heredes extiterunt. Cuius rei cum plura perhibeantur exempla, placet in primis ea commemorare, quae attulit perillustri STRVBENIVS ^{a)} quibus etiam sententia nostra de ductis peregrinis vxoribus confirmata apparet. Teste enim ALBERTO STADENSI ^{b)} Richenzae Augustae frater Henricus Marchio natus ex Slaua, eumque ideo suum fratrem dicebat soror, vt hereditatem non perderet, quae, in quaestione multorum posita, litigiosa fuit. Nec minus LAMBERTO SCHAFFNABVRGENSI ^{c)} commemoratur Otto frater Guillelmi Marchionis, sed matrimonio impari, matre scilicet Slauica natus, vir acer ingenio et manu impiger. *Is, vt ait LAMBERTVS, apud gentem Bohemorum iam a puero exulauerat, sed comperta morte fratris, magna cum spe obtinendae hereditatis regressus in Saxoniam, a cunctis illic Principibus benigne excipitur magnisque omnium adhortationibus instigatur, non modo Marchiam, quae sibi iure hereditario competeret, sed ipsum quoque regnum affectare. Vtramque autem Principum matrem Slauam ab illustribus parentibus non natam, sed humili citra dubium loco ortam esse, aliarum nuptiarum cum Slauis principibus, quae sine vlla reprehensione fuerunt, commemoratione, vt Billugi Obortorum Reguli cum Vagonis Pontificis Oldenburgensis sorore, et Mechtildis Henrici Leonis filiae cum Boruino Principe Megapolitano, ostendit STRVBENIVS, ^{d)}* Et initio quidem Reges, vt penes quos esset, dignitatem libertatemque, cui vellent, tribuere, nec a seruarum semper et libertarum nuptiis abstinuisse, quamuis filias ac sorores suas non temere alijs, quam regibus elocauerint, ex citatis Guntchramni,

a) *Hor. subsf. V. T. Obsf. 36.*

b) *ad. an. 1143. p. 271.*

c) *ad. an. 1057.*

d) *l. c.*

chramni, Chariberti, Dagoberti et Chlodouaei II. coniunctionibus HEINECCIUS^{a)} approbat, fassus tamen alterius stirpis atque insequentium temporum reges et principes non modo indecoras huiusmodi nuptias seueris legibus prohibuisse, sed et ipsos plerosque his legibus vixisse. Quod profecto confirmat eorum sententiam, qui, in iure liberorum aestimando, nuptiarum e quibus procreati essent, non dignitatem sed veritatem vereres olim Germanos respexisse contendunt. Igitur cum quibus iura connubii culta, quae contra nuptiae ob statum coniugis iniustae habitae, et ne nuptiae quidem esse in prisca Germania intellectae sint, ante omnia disquirendum est, quo facilius erit, hodiernae rationis iudicium ferre.

§. III.

Non potest autem certius, quam ex ipsis antiquarum legum Germanicarum tabulis vetustissimis populi mos in ineundis matrimoniis obseruatus existimari. Nam et clariora historiarum monumenta ex eo aeuo non superant, et, quae iure vetita, quae tantum studio decori non inita fuerint coniugia, haud facile aliunde perspicitur. Notae autem in primis ea de re Francorum et Saliorum et Ripuariorum, Langobardorum, Ostrogothorum, Frisonum Visigothorum et Alemannorum leges, quae caeterarum omnium in ista cautione seueritatem aut superauerunt, aut certe aequarunt. Nam lege Salica sancitum, vt ingenuus cum ancilla copulatus non secus ac ingenua seruo nupta libertatem amitteret. Idem Ripuariorum legibus cautum^{b)} durioribus tamen in seruum, si parentes ingenuae puellae ipsi adiunctae contradicerent. Tum enim virgini spatham a Comite et conunculam

a) *Element. Iur. Germ. L. I. Tit. X. §. CCVII.*

b) *Lex Ripuariorum Tit. LVIII. c. 15. et 16. apud LINDENBROGIUM in Cod. Legg. German.*

culam offerendam constituerant, ut virgini permitteretur optio, aut illa accepta occidendi serui, aut hac electa in seruitute perseverandi. Quemadmodum Salica etiam lege, ^{a)} *si litus ingenuam feminam traxisset vltimum supplicium irrogatum.* Langobardi vero adeo certissimam mortis poenam seruo ad id genus audaciae progressu minati esse videntur, nisi eam sanguinolentam legem tum demum, cum inuitis parentibus puella subriperetur, locum habuisse coniciat. Sic enim ROTHARIS ^{b)} *Si seruus, ait, liberam mulierem, aut puellam ausus fuerit in coniugio sibi sociare animae suae incurrat periculum. Et illam, quae seruo fuerit consentiens, habeant parentes occidendi potestatem, aut foris prouinciam transuendendi et de rebus istius mulieris faciendi quod voluerint. Et si parentes eius infra anni spatium hoc facere distulerint, tunc liceat Gastaldio regis aut actori aut Sculdaso ipsam in curtem regis ducere et intra pensiles ancillas constituere.* Primae igitur partes parentibus datae, secundum hos demum viciscendi potestas regis ministris permessa, fere ut Julia lege de adulteriis maritorum in primis, deinceps parentum in accusandis adulteris ante caeteros ratio habita. Et parum abest, quin Langobardorum legislatorem in danda aut occidendae aut trans prouinciam venundandae puellae facultate XII. Leges ob oculos habuisse suspicer, quanquam annus vindictae parentum praescriptus sine dubio ex iure Germanico est. Quis enim annalem maiorum nostrorum praescriptionem ignoret? Sed haec obiter. Maior Alemannicae ^{c)} legis benignitas, tempus, intra quod ingenuae coniuges serui mariti domum relinquere, iugumque seruitutis cum matrimonio excutere possent, praefinientis. Sed et vi-
figo-

a) Lex Salica Tit. XIV. Cap. 6. apud eund.

b) Lex Langobardorum Tit. IX. c. ult. in LINDENBROGII Codice legg. German.

c) Tit. XVII. ibid.

igothi ^{a)}), quantumuis huic impari matrimonio infensissimi, hoc legis Romanae temperamentum exhibuerunt, ne prius, quam centenis flagellis per interualla temporum ter admonita, si neque resipuisset, neque in parentum suorum potestate retineretur, mulier ingenua, serui alieni amore debacchata, domini, cui contubernalis pareret, ancilla esset. Ipsam autem legem praecipiant custodiri et de viris ingenuis, qui regias ancillas, vel etiam cuiuscunque, habuerint copulatas, ut haec forma seruetur. Adeo omnium Germanicarum nationum leges in eo conspirant, non posse ingenuam seruo nubere absque libertatis suae iactura, nec ingenuum alienam ancillam in matrimonium ducere, nisi heri eius potestati aut regis et ipse in posterum subiactens. Nam et idem illud edicto Theodorici Ostrogothorum regis et lege Frisionum nouimus expresse statutum, eodemque iure Burgundiones et Baiuuarios vixisse validis argumentis approbat illustris GEORG. LVD. BOEHMER ^{b)}). Ne quid de Saxonibus dicam, de quibus luculentissimum MEGINHARDI testimonium recitat ADAMVS BREMENSIS ^{c)}). Igitur, hanc imparem semper coniunctionem habitam, neque liberis inde natis spem vllam hereditatis reliquam fuisse, quis neget? Quemadmodum vero verissimum est, istas, quas adduximus, leges, sicut etiam Senatusconsultum Claudianum Romae factum, non ad furtiuos amplexus, sed ad matrimonia vere contracta pertinuisse, id tamen, quod ab illustrissimo BVATIO ^{d)}), qui quidem istud recte monuerat, amplius obseruatum video, Francorum leges supra commemoratas illi etiam ingenuo, qui

a) *Lex Visigothorum Libr. III. lit. 2. c. 3. ibid.*

b) *D. de impari matrimonio et iure liberorum ex eo natorum circa successorem feudalem §. 2.*

c) *Histor. Eccles. L. I. Cap. V.*

d) *Les Origines T. II. L. VI. C. 10. §. 2.*

qui suam ancillam duxisset, non pepercisse, eiusque rei argumentum esse, quod usque ad Lotharii tempora ^{a)} ad indignum eiusmodi coniugium declinatus homo ingenuus non dominis alieni serui seruaeque cum ingenuo forte coniunctae, sed fisco regis addictus fuerit, fateor vero simile non videri. Nam cum, docente BYATIO iniquitatem fortunae manumissionibus emendare, et citra imparis conditionis opprobrium cum libera iustas nuptias inire licuerit, non video, quid domino obstiterit ancillam, matrimonii causa, manumissuro. Si quis tamen, mulieres eodem manumissionis auxilio seruos suos sibi coniungere impune non potuisse contendat, me quidem non habebit valde dissentientem. Sane Visigothi ingenuae cum proprio seruo coniugium censuerunt morte explandum.

§. IV.

Illae quidem, quas adduximus, leges liberorum liberarumque cum seruis atque ancillis matrimonia cohibuerunt, earumque tanta consensione, ut, coniugia ancillarum cum ingenuis, ingenuarum cum seruis ab omnibus olim Germanis imparia habita esse, credamus, efficitur. Proximi ab secundo hominum genere liberti, quorum cum seruis matrimonia eidem, quanquam minoris libertatis, periculo exposita. Nam quod diserte statuit Lex Alemannorum ^{b)}: *si ancilla libera dimissa fuerit per chartam aut in ecclesia et post haec seruo nupsit, ecclesiae ancilla permaneat*, id ratio apud omnes originis Germanicae gentes aequae constituit. Sed vtrum impar fuerit matrimonium ingenui cum libera, et perinde veterum, e paucioribus saltem legibus iudicare debemus,

cum

a) Capitul. Lotharii T. V. C. 28. apud LINDENBROGIUM.

b) Tit. XVIII. c. 1. ap. eund.

cum non vbiuis obuia sint veterum Germanorum de eo opinionis vestigia. Lege Visigothorum ^{a)} *ut naturae splendor ortus sui dignitate non careat, et seruitus sibi met reminiscens indebita et inconcessa non appetat, bene iubetur, ut si quorumlibet quilibet liberti siue ex eorum stirpe quandoque progeniti, ex genere manumissorum, vel ex eis decurrente longa progenie coniugium praesumserint attentare — in eorum euidentem seruitutem mox redeant.* Sed dubitari possit, an nobilium tantum coniugia hac sanctione libertis sint interdicta ob verba, quae antecedunt: *Sic quae in aduersum parte conuersa, quia ingenta libertas gratiae dono fit nobilis, ideo generosa nobilitas inferioris tactu sit turpis.* Certelex libertorum magis cum patrona, patronorumque liberis, quam libertarum cum ipsis, nuptias expresse prohibuit. Verum demus vtriusque eandem rationem et parem fuisse turpitudinem. Id amplius quaeri potest, cur alieni liberti nulla mentio facta. Quod si quis Visigothorum de nuptiis ingenuae cum seruo alieno constitutionem meminerit, libertorumque conditionem, qui **T A C I T I** ^{b)} iam aetate non multum supra seruos fuerunt, nisi in iis gentibus, quae regnabantur, interdum ad maiores dignitatis gradus etiam supra ingenuos extra ordinem ascendissent, considerauerit, illi talis matrimonii ratio non obscura esse potest. Cum enim plerique liberti cum tota sua progenie in patronorum nexu, illisque ad agros colendas, et operas praestandas, pactis manumissionum conditionibus, obligati essent, non potuit sane non fieri, ut liberi eorum, siue ex ingenua, siue ex liberta nati, conditionem patris sequerentur, et libertarum quoque proles, ex quocumque patre, praeterquam ex seruo, suscepta esset, ad easdem patrono

B 2

libe-

a) *L. V. Tit. VII. Cap. 18. ibid.*b) *de M. G. Cap. XXV.*

liberisque eius debitas operas forte nascendi adstringeretur. Tametsi volente patrono tolli potuisse hunc nexum non ambigitur, quo factio nihil amplius impedimenti matrimonii cum ingenua aequalibus obtituisse videtur. Igitur ad haec et seruorum cum liberis matrimonia utique pertinet veteris iuris Germanici paroemia: partus deterioris parentis conditionem sequitur, *das Kind folgt der aergern Hand* ^{a)}. Feminae autem nubentis alieno seruo fortunam describit lex Alemannorum ^{b)}: *Si duae sorores absque fratre relictae post mortem patris fuerint, et ad ipsas hereditas paterna pertingat, et una nupsit coequali libero, alia autem nupsit aut colono regis, aut colono ecclesiae, illa, quae illi libero nupsit sibi coequali, tenet terram patris earum, res enim alias aequaliter diuidant. Illa enim, quae illi colono nupsit, non intrat in portionem terrae, quia sibi coequali non nupsit.* Saepe etiam ingenuos viros cum aliena liberta coniunctos in huius erga patronum obligationes vltro transiisse, quin hic illic legis necessitate peruenisse in eum statum, tum hodiernis moribus edocemur, quibus maritus rusticae saepissime huius praediorum cum omni erga dominum nexu acceptat, tum regum Francorum capitularia, humanitatem populi, in iure hereditatis dicendique testimonii liberis hominibus cum colonis regis matrimonio iunctis non adimendo, professa, ostendunt. Quam quidem colonorum regis felicitatem, cum in Gallia magis, quam in Germania id obseruatum esse, videatur, nescio, an recte iudicem, diuersae opinionis Francogallorum et Germanorum de impari coniugio esse rationem. Nam ut aliam reddenti *EVATIO* ^{c)}, assentire non possim, multae causae impediunt.

§. V.

a) HERTIVS de Paroem. iur. Germ. L. II. par. VI.

b) Lex Alemannorum Tit. LVII. ap. BALVZIVM Capitular. T. I. p. 72.

c) les Origines. l. I.

§. V.

Liceat admonere lectores, ingenuarum cum libertis nuptias maiorem, quam libertarum cum ingenuis legis sollicitudinem esse expertas. Quod quidem ea de causa factum esse suspicor, quoniam nec liberorum cum libertis coniugia, nec libertorum cum liberis legitima habuerunt, adeoque caueri debuit, ne regula iuris Germanici, extra matrimonium natos matri perinde succedere, atque legitimos, *ein Weib traegt keinen Bastard* ^{a)}, ad infantes ex illis susceptos cum patronorum damno produceretur. Deinde etiam verendum erat, ne ingenua liberti coniux, ingenuitatis suae titulis freta, partem auitorum praediorum ad fructuarium imparis libertatis maritum, ad liberos in nexu patroni tanquam in seruitute perseverantes, et, si sic conuenisset inter manumissorem et manumissum, eius olim progenies eam adeo ad ipsum patronum forte orbitatis casu deferret. Igitur lex Alemannorum ^{b)} mulierem nuptam colono, etiam si patri sine fratre et sorore superstitem, a fundorum paternorum possessione exclusisse videtur. Etenim perpensis omnibus, non amplius in ea sententia haereo, in quam cogitatio liberorum nobili viro ex ingenua natorum olim detraxerat, aliquando agnatorum magis praerogatiuam, quam perpetuam ingenuae feminae, in liberti matrimonio collocatae, et prolis inde prognatae a reditu in auitos fundos exclusionem esse sancitam: sed hanc leges voluisse video, ne vnquam ingenua praedia, (nam et fundis ingenuitas sua, possessori admodum fructuosa) ad imparis conditionis homines, nempe ad seruos libertosue nondum omni originis nexu beneficio domini liberatos, peruenirent. Verendum enim, ne contra leges iisdem vinculis,

B 3

quibus

a) HERTIVS in *Par. iur. Germ. L. 1. p. IV.*

b) *laud. Tit. LVII.*

quibus ipse possessor, adstricta et imminuto regis aut principis iure, cui immediate antea subfuissent, si libertus olim sine heredibus decederet, quasi in manum domini, caetera libertorum praediola, vel ex pacto, vel more maiorum, recuperantis, deuoluenda viderentur. Quam quidem potissimam enarrati iuris connubialis rationem ducens etiam amplio, et potuisse feminam ingenuam cum liberto nexu soluto coniugium haud impar inire, iustos auitorum praediorum heredes parturam contendo. Nam quamuis proprie ingenuus non sit, qui se liberum ex utroque parente natum gloriari non potest, neque tamen exinde progeniem feminae ingenuae ex liberto susceptam alicuius natalium maculae et vitiositatis redarguas; neque antiquis Germanis videtur defuisse aliquis impertientiae ingenuitatis, quam negauisset natura, modus, nempe ista, quam diximus, ab omnibus libertorum operis omnique nexu liberatio, nisi me omnia fallunt, ingenuitatis chartis^{a)} significata, sed, quicquid etiam dominus moliretur, cum coloni quoque adscriptitiae conditionis essent, vix sine coheredum consensu perficienda. Neque in libertis proprie dictis, id est, in manumissis tantum hac solutione opus fuisse ad ingenuitatem probandam existimo, sed et in omni eorum progenie, quam libertorum numero et iure habitam vel ipsae leges Visigothorum supra excitatae ostendunt. Probationem autem ingenuitatis per certum maiorum numerum, sequiore demum aetate inuentam, ne solam quidem ad ingenua praedia capienda profuisse, persuasus sum, nisi ista ab omni nexu solutio ad maculam seruilis originis plane delendam accessisset. Si igitur ex me quaeras, antiquo iure Germanico iustae fuerint ingenui nuptiae cum liberta, an ad eas quoque regula,

a) G. L. BOEHMER *D. de impuri matrimonio* §. 3. *Dissentii* CRAME-
EVS *de iur. et praerog. nobil. auitae* Cap. II. §. VII. n. 1.

gula, liberos deterioris parentis conditionem sequi, pertinuerit, distinde respondendum, et sic fere tenendum esse arbitror: vbi ab omni seruilis originis, rusticaeque conditionis nexu soluisset feminam patronus, et, quorum forte intererat nihil de suo iure absque sua auctoritate imminui, omnibus ingenuis cum ea connubii ius datum, liberosque ex eo matrimonio procreatos iustos extitisse paternorum bonorum heredes; si vero istud manumissoris beneficium famula non impetrasset, imparis coniugii foedus patrono matris liberos atque adscriptitiae conditionis homines, non patri heredes suos in praediis eius ingenuis successuros, peperisse. Neque affirmare ausim, potuisse natorum conditionem sine agnatorum, quorum intererat, consensu, plena matris liberatione a patrono meliorem reddi, quanquam nasciturorum potuit. Soliti enim Germani ius capiendae hereditatis ex nascendi forte et tempore iudicare, vt, qui tum exheredes fuissent, deinde neminis indulgentia citra coheredum consensionem condominium auitorum bonorum adipisci possent. Verum, quod subinde enenisse obseruat perillustris STRVBENIUS^{a)}, vt ex impari coniugio orta proles, extincta agnatorum patris familia, Imperatorum et Principum beneficio acceptis feudis paternis in clientelam reciperetur, id magis sponte, quam iure factum interpretor, maxime cum reges Germaniae in hominum suorum commoda procliuiores essent, perque ipsos stare, cui vellent beneficium sui iuris tribuere.

§. VI.

Quas adhuc commemorauimus leges, eae nuptias tantum cum seruis et originis seruilis hominibus improbatuerunt, ne cum libertis quidem, ius ingenuitatis patronorum bene-

a) Hor. *subf. T. V. Obs. 36.*

beneficio adeptis, connubio ingenuis interdicto. Itaque sola ingenuorum cum ancillis et colonis matrimonia iure publico Germanorum imparia iudicauerunt permulti^{a)}, ideoque illustrissimus BVA TIVS^{b)} censuit, si vnquam generali lege de seruorum in Germania manumissione constitutum fuisset, fore, vt imparium matrimoniorum incommoda aeque, ac Francogalli, ignoraremus. Verum alii duas leges afferunt, quibus contrariam sententiam maiorum nostrorum animis antiquitus infixam fuisse, ostendant, alteram quidem ex ipso legum Visigothicarum codice, alteram in corpore iuris antiqui Saxonici, etsi hodie non reperendam, a MEGINHARDO tamen, scriptore probo, atque ab huius laudatore ADAMO BREMENSIS^{c)} totidemque fere verbis si KOPPIO fides, ab YRSBERGENSI^{d)} seruatum. Sic enim lex Visigothorum sancit: *e)* *Si soror personae suae non cogitans statum ad inferiorem sorte maritum deuenerit, portionem suam suae diuisam, siue non diuisam, quam de facultate parentum fuerat consecuta, aut consecutura, amittat. In fratrum et sororum et aliorum hereditatem ingrediendi ei concedimus potestatem.* De Saxonibus vero MEGINHARDVS^{f)} postquam in vniuersum tradiderat, generis quoque ac nobilitatis suae prouidissimam eos curam habere, nec facile vllis aliarum gentium, vel sibi inferiorum, connubiis infectos propriam et sinceram et sui similem gentem facere, conatos esse, vnde et habitus quoque ac magnitudo corporum, comarumque color, quanquam in tanto hominum numero, idem pene omnibus esset, vt in quo

a) vid. MOSBRVS *Iur. Publ. Germ. T. XIX. Libr. III. Cap. 102.*

b) *l. c. L. VI. C. 10. §. 4.*

c) *Histor. Eccles. L. I. Cap. V.*

d) *p. eius. 148.*

e) *Libr. III. T. I. §. 8.*

f) *de miraculis S. Alexandri S. Felicitatis filii in SCHEIDII Bibliotheca Göttingensi Histor. P. I. n. 1.*

quo fieret modo, plenissime intelligeretur, sic commentatur: Quatuor igitur differentiis gens illa consistit, nobilium scilicet et liberorum, libertorum atque seruatorum. Et id legibus firmatum, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriae sortis terminos transferat, sed nobilis nobilem ducat uxorem, et liber liberam, libertus coniungatur libertae, et seruus ancillae. Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere praestantiorum duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat. Uterque locus magni ad explicandas iuris connubialis antiquitates momenti, interpretes nullo tempore non exercuit. Nam et verbum inferioris mariti in lege Visigothorum ambiguum est, et cur soror, ad impar cum eo coniugium delapsa, paternam quidem hereditatem, siue iam acceptam, siue adhuc deferendam amittat, spem vero potestatemque, in bona fratrum sororumque succedendi, retineat, non satis manifesta ratio. STRUBENIUS^{a)} quidem recte obseruat, de seruis sermonem non esse, sed velim, de quibus igitur hominibus sit, distinctius nosse, quemadmodum legem Alemanorum de puella colono regis vel ecclesiae nupta, a viro perillustri cum Visigothica sanctione coniunctam, ad libertorum tantum, non etiam ad ingenuorum cum liberis et nobilibus mulieribus matrimonia pertinere, iam constituimus. Quod si, quos inferiores maritos lex vocat, colonos adscriptitiae conditionis, tales, quales Romani videntur humiles ingenuos, siue humiles de plebe appellauisse, interpretamur; fateor vero in hanc in primis sententiam inclinare animum meum, ut inferiores dictos credamus, qui ad ingenui patroni potestatem colendam, praestandasque ipsi seruales operas, lege voluntariae conuentionis, siue a se ipsis, siue a parentibus olim maioribusue ingenuis pacta, adstricti sunt, quanquam olim

a) *Hor. subs. T. V. Obs. 36.*

XVIII

olim Romanos a Visigothis deuictos, eo describi nomine sufficatus; non nouum imparis coniugii genus, sed id ipsum, quod legitimi connubii iure destitutum, iam aliunde ^{a)} cognouimus, Visigothos quoque improbauisse, apparet. Nec, cur paternorum bonorum exheres fuerit adscriptitium coniux, quaerendum est amplius, sed Visigothicae magis legis benignitas, nolentis eam in perpetuum excludi, verum fratrum fororumque hereditatem capiendi, ius facientis, depraedicaanda. Nisi tamen magis placeat, paternam hereditatem adimi, ne sit nobilibus atque ingenuis cum vxore coloni familia heriscunda, neue pars auitorum bonorum ad hanc, superstitionibus illis, pertineat, caeterum, vbi ista patrimonii occupatio cum nulla fratrum fororumue iniuria amplius coniuncta sit, ne ad inferioris mariti coniugem hereditas agnatorum perueniat, putauisse legislatores, reipublicae non interesse. Equidem fratrum fororumque nomine nolim in eo loco agnatos quoque et agnatas vteriorum graduum, qui sensus vtriusque vocabuli non omnino insolens est, comprehensos et subintelligendos esse contendere. Verum quicquid eius rei sit, BOEHMERI ^{b)} atque STRVBENII ^{c)} sententia, qua, liberos ex impari matrimonio procreatos, nisi seruos a serua natos, ob deterioris parentis conditionem neque ab auitis herediis, neque in clientelari curia, siue non extarent agnati, siue consensissent, a beneficiis, etiam maioribus, fuisse vnquam repulso, affirmarunt, Visigothica lege egregie confirmatur. Praeterea animum attendite ad eam, de qua mentem meam iam aperui, sexus virilis praerogatiuam. Quis enim forte fortuna accidisse, neque consilio factum ducat, vt soror quidem in inferioris mariti amplexu ruens, paterna hereditate priuaretur, de fratre vero, imparis libertatis coniugem diligente, lex nul-

a) *Lex Alemannorum Tit. LVII.*

b) *l. l. §. 13.*

c) *l. l. §. 5.*

nullam mentionem iniiceret. Quod non leue iudicium esse videtur eius rei, quam diximus, non eandem mulierum libertatem fuisse in quaerenda coniugii conditione, neque eandem fortunam atque impunitatem, quam virorum. Neque id mirum illis videbitur, qui maritorum in vxores et bona earum potestatem cogitent, veterumque Germanorum studia, elocandis filiabus et fororibus, quae maxime in parentum atque agnatorum potestate erant, adiungendi sibi affines nobiles atque potentes.

§. VII.

Si cui vero displiceat ista Visigothici iuris interpretatio, et maritus vere ingenuus nobili vxore per eam legem inferior videatur, non ego eum multo labore in meas partes trahere conabor. Superat enim MEGINHARDI testimonium, quo id, quod aduersarii volunt ex ista lege Gothica extricare, sine vlla dubitatione conficitur. Nam primum is quatuor hominum ordines et classes commemorat, neque cum eo pugnant HVCBALDVS^{a)} atque NITHARDVS^{b)} quorum vterque, si *Lassi* vocabulum recte explicetur, non libertos, hi enim sunt lassi, sed seruos, quia caput non habent, in diuerso hominum statu describendo, omisit. Quam ob rem etiam VITICHINDVS^{c)}, ne quid de Capitularibus Caroli M.^{d)} commemorem, quasi diuersas narrationes conciliaturus: *Saxonica, inquit, gens, usque hodie triformi genere, ac lege, praeter conditionem seruilem, diuiditur.* Igitur homines erant aut nobiles, aut ingenui, aut liberti, aut serui. Nobiles quidem debuisse ab antiquis regibus,

C 2

- quos
 a) in vita aLebui, v. HERTIVS *Notit. vet. Germ. pop. P. III. C. IV. §. 9.*
 b) de *diffens. filior. Ludouici Pi* ap. SCHILTERVM *Scr. rer. Germ. p. 105.*
 c) *Annal. L. I.*
 d) de *Partibus Saxoniae an. 1000* c. 3. v. HERTIVS *l. l. cui ista sublegimus.*

quos e nobilitate sumtos diserte TACITVS tradit, et, si quid valet opinio, a Ducibus et Comitibus, quanquam ipsis ex ingenuorum numero, et magis ob virtutem, quam nobilitatem lectis, aut ortum ducere, aut certe reges novos, ex antiqua regum profapia non oriundos, cognationis vinculo attingere, cuiusmodi nobilitatis maioris exemplum est in cognatis Pontificum Romanorum, quos vocant Nepotes aut tales esse, quales ipsi ad gradum ducis aut comitis ascenderent, partim classicis testimoniis constat, partim validis rationibus persuasum est. Quam ob causam HERTIO^{a)} haud assentior, et HADRIANO VALESIO^{b)}, eandem, quae apud Saxones, et, nisi me omnia fallunt, apud omnes Germaniae gentes, quin caeteras versus septentrionem nationes plerasque, obtinuit, in veteri Francorum populo nobilium atque ingenuorum diuisionem non agnoscentibus. Ingenuos autem nec semper efficiebat parentum libertas, nec sola, cum et quisque domini beneficio posset ingenuitatis priuilegia per epistolam impetrare, vt a nobis supra ostensum, crebroque in iis gentibus, quae regnabatur, rarissime in caeteris, euenisse TACITI testimonio probabile est, cumque sera manumissorum posteritas ad operas patrono pro fundis praestandas adstricta, ingenuorum numero nunquam accenseretur, denique ingenui etiam in eandem nexum et operarum legem, cogente forsân dura necessitate, conuenientes ius ingenuitatis amitterent fierentque similes dedititiis atque liberis. Non ego, quae ab aliis contra dicuntur dememini, nempe hoc certe seruorum libertorumque discrimen antiquitus esse habitum, quod serui conditionem suam mutare inuito domino non potuissent, liberti vtiq; potuissent^{c)}. Verum enim oblitos esse oportet viros doctissimos
diuer-

a) *Notit. Franc. vet. C. III. §. 29.*

b) *Notit. Galliarum v. Rotomag.*

c) CRAMERVS l. l.

diuersarum conventionum, quae hodieque inter dominos et manumissos iniri solent, et quibus saepe legem perpetui obsequii, aut si libertus, vel quis posterorum eius, discedere malit, redemptionis certo pretio faciendae inesse nouimus. Nuperrimum eius rei exemplum vidi in instrumento venditionis, quo emtor fundi cum mola, et ad annuam pensionem, et ad suae vxorisque suae, quin liberorum adeo post eam conventionem nasciturorum, libertatis redemptionem solutis in singula capita singulis aureis Hungaricis faciendam cenobio cuidam celebri in Lusatia se obstrinxerat: is tamen magis libertus et deditius, quippe non Romani sed Germanici iuris sensu, quem ex maiorum consuetudine colonum, agricultorem adscriptitium, vulgari idiomate *unterthaenig, erbunterthaenig* vocares, quam seruus existimandus, cum fundi dominus vilis esset, eaque possessio verum dominium aemulata, molitore ad inopiam vergente, etiam in sectione bonorum cerneretur, relicta creditoribus vendendi publice fundi facultate. Et cur, quaeso, veterum regum Francorum capitularia ingenuorum quorundam, qui se in fiscos receperant, mentioni iniectae sollicitate addidissent exceptionem, si *salua* tamen *libertate atque ingenuitate* hoc factum fuisset, nisi eorum discrimen ab illis, qui arctiorem nexum, atque adscriptitiae conditionis calamitatem in ista receptione non effugerant, constituere voluissent. Itaque verbum liberti, quo maiores nostri tam libenter vsi sunt, aduersarios nostros fessellisse videtur. Quod si tenemus atque statuimus, libertum non nascendi tantum fortunam, ac manumissionem, sed pactiorem quoque parentum, de qua lex Visigothorum^{a)}, decurrenti ex genere manumissorum longae progeniei matrimonia cum patroni posteritate seuerissime interdicens, testatur, et ipsius, et ipsius cuiusque ingenui voluntariam additionem,

C 3

nem,

a) L. V. T, VII, C. 18. *ibid.*

nem, nempe prout hoc verbum ab antiquis scriptoribus Francicis et Germanicis vsurpatum est, facere, tum, qui poterint domini, ingenuitatem pro beneficio indulgere, tum, qui hodie istis libertis sint comparandi, et nobiles eorum connubiis vtrum in vniuersum arcendi, an positis quibusdam conditionibus, qua de re posthac differendi locus erit, haud difficile iudicabitur. Id vnum forte ad sententiam nostram confirmandam adiciendum, non obligatione tantum ad operas, sed census quoque siue vectigalis solutione, quam possessor fundi rustici domino eius deberet, libertatem mirifice imminutam fuisse, adeoque Romanos, cum, quia stipendiaria praedia possidebant, tum, quia colonorum suorum vectigalia et mercedes, pro fructibus fundi annuas, ab vltro tribus Romanorum discernere Franci Germanique non satis didicerant, contemptum Francorum vix effugisse, et praedia Romanorum minus libera et ipsos Romanos imparis conditionis existimantium. Quod idoneis testimoniis firmauit egregius iuris publici Gallicani scriptor BOLQVETVS^{a)}). E quibus omnibus intelligi puto, quos libertorum nomine designauerit MEGINHARDVS, quos Lessorum NITHARDVS, quantusque semper illorum hominum fuerit numerus in vniuersa Germania. Seruorum autem conditionem describere non opus duco. Nam etsi interdum subobscurae sunt notae, quibus ab infima libertorum sorte discernuntur, quid attinet tamen eos commemorare ad hunc de nobilitium nuptiis locum, cum omnes libertarum atque ancillarum connubia certe, nisi illae ius ingenuitatis impetrauerint, aequo iure interdicta esse, confiteantur. Igitur relicta hominum diuisione reliquam narrationis MEGINHARDI partem dispiciemus.

a) *Droit public de France, Tom. I. P. I, art. 3 et 5, add. DVCANGIVM ad Ioinuillam diss. XVII.*

§. VIII.

Post enim, quam classes hominum descripsit, ait, id legibus esse firmatum, ut nobilis nobilem ducat uxorem, liber liberam, libertus coniungatur libertae, seruus ancillae. Memorabile profecto testimonium et fortissimum eorum, qui nuptias nobilium cum ingenuis citra discrimen iniustas habent, praesidium. Neque fides MEGINHARDO temere abneganda, cum legum Saxoniarum pars forte perierit, potueritque adeo ea lex extitisse inter deperditas. Magis tamen placet altera STRVBENII^{a)} coniectura, moribus hoc seruatum, non scriptis legibus constitutum fuisse. Quod, siue expunctam legem a Carolo M., Saxonici iuris notissimo correctore, cui in primis supplicii poena in quosdam eius transgressores potuit doctrinae Christianae parum consentanea videri, siue Saxones morum suorum castitati confisos noluisse de ea re scribere, suspiceris, sane non sine exemplo est. Quis enim nescit, praeter scriptas leges multa apud omnes populos moribus valuisse. Liceat tamen, ne Saxonum mos cum omnibus aliarum Germanicarum gentium pugnare, aut MEGINHARDI testimonium istis, quae supra diximus, omnem fidem detrahere videatur, duas in primis notas, a viris doctissimis praetermissas, adspargere. Equidem, non omnia in scriptoribus Seculi IX, quo floruit MEGINHARDVS, ad leges Grammaticorum ab interpretibus exigi posse, nullus ignoro, sed id ipsum, ut aduersariae parti largior, sic mihi quoque eandem liberioris interpretationis veniam illa concedat. Nimirum ex antecedentibus verbis: *lege firmatum esse, ut nulla pars in copulandis coniugiis propriae fortis terminos transferat*, et ex iis, quae subsequuntur: *Si vero quispiam horum sibi non congruentem et genere praestantiorum duxerit uxorem, cum vitae suae damno componat*, videor mihi plenissi-

a) l. l. §. 3.

plenissime intelligere, Saxonum quoque lege mulierum magis in coniugibus eligendis libertatem, quam virorum, esse coercitam, neque, ut ignobiliorem uxorem quisque ne duceret, esse vetitum, sed ne nobiliorem, adeoque propositis poenis non honestati virorum, verum mulierum dignitati atque pudicitiae fuisse prospectum. Quod etiam ob alias causas, in primis ob affinitates potentium elocandis fororibus filiabusque contrahendas, et aitorum bonorum cum inferioribus communionem vitandam, tum hoc prudenti consilio cautum esse videtur, ne nobilissimae virgines ingenuis magis libertisue, quam nobilibus viris, quibus nubere possent, circumdatae, siue ad indignas nuptias, siue etiam spe nuptiarum, nisi ipsum matrimonium fati poenae esse amantibus videretur, ab improbo forte atque audaci homine ad maculosum nefas et flagitium pellicerentur. Cum vero iniqua, nobilibus in primis, feminis conditio iniungatur, colloca-tione earum in inferiorum matrimoniis interdicta, factaque nihilominus viris eiusdem dignitatis ducendi, quam ex quocun-que ordine velint, publice potestate, et cum permultae aliae rationes imparia coniugia Principibus vehementer dissua-deant, non ego nego, moris fuisse honestatisque, ab igno-bilium mulierum nuptiis abstinere vicissim, et aegre lata a multis regum et ducum cum ingenuis, nedum, cum liber-tis et seruis, matrimonia, haud ignoro. Nam et Francos GREGORIVS TVRONENSIS ^{a)} testatur, in nouo Rege eligendo Gunthramni filios, ex ancilla manumissa partos, aliis regiae prosapiae principibus ex utroque parente nobili or-tis, postponendos (non puto in perpetuum a regno exclu-dendos) existimasse. Verum legem desidero, quae poenam in nobiliores feminarum deterioris conditionis procos, et in mulie-

a) *Histor. Franc. L. V. Cap. XXI.*

mulieres viris genere praestantioribus nuptas sanciverit. Cuius sane nullam mentionem nec reliquiae Legum Saxonicarum fecerunt, nec MEGINHARDY S. Neque enim satis est, laudare generalibus verbis populi institutum, ut nobilis nobilem ducat uxorem, cum possit ea lex imperfecta, aut moris neglectio sine poena fuisse: sed indicari etiam debet atque ostendi, nobilium coniunctiones cum ingenuis habitas esse ita iniustas, ut nec dos, nec nuptiae, nec liberi legitimi vlllo pacto intelligerentur. Quod utrum omnino confirmari possit, partim diximus, partim posthac constituemus: vnius MEGINHARDI testimonio approbari negamus. Quod autem ille de capitis poena ab inferioris ordinis viris, qui sibi non congruentem et genere praestantiozem duxissent uxorem, sumpta, in medium protulit, id videtur aut ad seruos tantum libertosque nobilium, forte etiam ingentiorum nuptias affectantes, pertinuisse, aut, quod magis probò, in vniuersum ad eos, qui clam parentes atque agnatos melioris generis puellam in matrimonium suum improbe deduxissent, adeoque honestatem magis earum et pudicitiam violasse, magis stuprum et flagitium commisisse, quam legitimis sibi connubiis eas socialle viderentur. In quibus non sine exemplo fuisse commemoratae legis poenam opinor. Nam id ipsum flagitium cum seruo in primis libertoue admissum, quis dubitet, illo adulterii genere contineri, de cuius vltione BONIFACIUS^{a)} in epistola ad Regem Merciorum Aethebal- dum non benigniora narrat: *In antiqua Saxonia, inquit, si virgo paternam domum adulterio maculauerit — aliquando cogunt eam propria manu per laqueum suspensam vitam finire, et super bustum incensae et concrematae corruptorem eius suspendunt. Aliquando congregato exercitu femineo flagellatam eam mulieres*

a) ap. BARON. *annal. eccles. ad. an. 745.*

per

per pagos circumquaque ducunt, — ut caeteri timorem adulterandi et luxuriandi habeant. Quoties vero feminae vitatae nobilitas tam ignominiosum supplicium non admittere visa, ignobilem illum, aut seruum, ad nuptias cum tanta clarae gentis contumelia coniunctas progressum eo maioribus poenis plexum esse vero simile est. Caeterum Salicae legis, Ripuariorum et Langobardorum constitutiones de capitali seruorum, ingenuas mulieres, inuitis parentibus, ducentium rapientiumue supplicio commemorauimus. Has tanquam Saxonum leges MEGINHARDVM enarrauiffe, neque veram earum de matrimonio inter ingenuos et seruos, non inter nobiles et ingenuos, improbato sententiam perspexiffe, statuit Illustr. BOEHMERVS ^{a)} non improbabili coniectura. Sed ut liberaliores etiam finis, fac, omnia ex vero, nihil per errorem tradidiffe MEGINHARDVM, is tamen, omnino veritas nobilium cum ingenuis nuptias eo tempore fuiffe, non scripsit. Sed huius testimonii fide, consideratis omnibus, quae nobis tanquam ex naufragio seruatae sunt, legum antiquarum monumentis, id tantum colligimus et pro certo habemus: I. illicitas in Germania vetere fuiffe nobilium ingenuorumque cum seruis libertisue coniugia, eque iis natos deterioris parentis fortunam secutos: II. nobilium cum ingenuis omni reprehensione non caruiffe: III. maiori tamen odio habitum feminae nobilis cum ingenuo, quam ingenuae cum viro nobili connubium, IV. vtrumque vero sine poena contractum, V. vxoremque dignitatis et status mariti iura adeptam esse, denique VI. et liberos inde susceptos, nisi lex parentum obfisteret, familiaeue conuentio, aut feminis inferiori marito nupturis parentes agnatiue non assensissent, paternae maternaeque hereditatis non minus, quam ex vtroque

a) l. c. §. 4.

que parente nobili natos, extitisse participes; VII. aut, si illorum aliquid esset, cur parenti melioris conditionis succedere non possent; haud tamen illos in perpetuum exsortes, sed extincta eorum familia, quorum favore ita conuenisset, sine ipsis consentientibus, nobilium quoque praediorum dominium legitima hereditate consecutos fuisse.

§. IX.

Sed ne de antiquo iure Germanico praeter necessitatem, atque ad rem propositam inutiliter disputauisse, neque hodierna ratio inepta et vana antiquitatis ostentatione ab ultimis populi initiis repetita videatur, duo in primis agenda, et antea quam ad alteram aetatem progrediatur disputatio, quasi supplenda sunt, primum quidem, Comites atque Barones nobiles nunquam non extitisse, deinde, quos iam nobiles vocamus minorum gentium, istos antiquis temporibus ad ingenuos, non in nobilium numerum fuisse relatos. Illud, etsi tantum non omnes eruditi concedunt, et magna scriptorum ac testium multitudo confirmat, omniumque medio aëuo datarum litterarum consensus^{a)} affatim restatur, video tamen a paucis vocari in dubium, quorum alii, TACITI auctoritate *reges ex nobilitate, duces autem, adeoque, ut recte colligunt, etiam comites ex virtute sumtos* aientis vtuntur, alii autem ea ratione mouentur, quod sibi dicunt non esse persuasum, Imperatores et Reges omnes omnino Comites, e nobilium, nullos ex ingenuorum ordine lectos creasse. Sed utraque ratio valde infirma est. Nam et ipse TACITVS^{b)} Principum vocabulo, quo tamen omnes consentiunt, nobiles ab ipso significari, interdum sic vtitur, vt reges regumque

D 2

libe.

a) v. inprimis I. A. KOPPIVS de insigni differ. inter Imp. Comites et Nobiles inuicem.

b) de M. G. Cap. 13. et 14.

liberos denotare non possit; eoque Comites pagorum caeterosque magistratus maiores necesse sit cum eorum progénie intelligi: et vnde quaeso in liberis gentibus, quae nulum sibi regem praefecerant, nisi a Ducibus et Comitibus aliquis nobilium ordo existeret, atque a magnis ipsorum meritis ista insignis nobilitas, quam Principis dignationem etiam adolescentulis assignare TACITVS scribit, oriri potuisset? De ipsis Saxonibus BÉDA ^{a)}: *Antiqui Saxones regem non habent, sed Satrapas genti suae praepositos, qui ingruente belli articulo mittunt aequaliter sortes, et quemcumque fors intenderit, hunc tempore belli ducent omnes sequuntur: et huic obtemperant: peracto autem bello rursus aequalis potentia omnes Satrapae fiunt.* Et cui non occinit vetus ex nostratibus Pœta ^{b)} suum de gente Saxonica testimonium: *Quae nec rege fuit saltem sociata sub vno, sed variis diuisa modis. Plebs omnis habebat Quot pagos tot pene duces.* Ne quis autem in vocabulo Comitum haereat. Nam certe pagorum principibus Grauiorum siue Seniorum nomine domi ornatis non veteres tantum Imperatores Romanos Comitum, tanquam in aula dignitatis, titulum saepissime tribuisse, sed eodem etiam elogio reges Francorum, et, qui deinceps latine de rebus nostris scripsere, eos appellasse constat. Quod vero de euectione ingenuorum ad gradum dignitatemque Comitum dicitur, non quidem negamus in vniuersum. Nam et a vetustis regulis libertos iterum supra ingenuos et nobiles ascendisse TACITVS ^{c)} ait, cum apud caeteros, qui non regnabant, *impares libertini libertatis argumentum essent.* Sed quid, quaeso, illud contra nos effi-

a) *Histor. Eccles. gent. Angl. C. II.*

b) ap. LEIBNITIVM *Ser. Rer. Brunsvic.*

c) *de M. G. Cap. XXV.*

efficiet? An enim quis vnquam praestitit, aut praestabit, antequam Comitatus hereditario iure tenebantur, Comites ex ingenuis lectos noua cum dignitate nobilitatem vnquam non consecutos fuisse? An poterit vilo probabili argumento ostendi, tum temporis magistratum paternum nondum liberis atque posteris assignasse inter nobiles locum? Vtrum autem atque a quo tempore nominatim inter ipsos Comites assignauerit, non atinet quaerere, cum Baronum et Dynastarum par fuerit nobilitas, etsi non eadem apud Reges dignatio, neque eadem functio regiae potestatis. Quam ob rem Comitum liberi, si Dominorum, non Comitum elogio ornati reperiantur, haud nobilitate et ordine, sed dignitate duntaxat impares Comitibusque magistratu perfunctis inferiores extiterunt. In genere vero Baro virum fortem atque liberum significat, cuiusmodi erant nobilium praediorum, quae dynastias appellare consueuimus, domini, solo ciuitatis vinculo ad obsequium ciuile regi regiisque legatis et ducibus praestandum adstricti, locumque in Comitibus proxime Comites, nec vnquam impari auctoritate et suffragio, tuiti, cuiusmodi quidem dominos, ante istam beneficiariae legis et disciplinae per omnes fere Germaniae regiones propagationem, olim in patria pagis tanquam suo heredio, adeoque ciuibus ingenuis praestitisse, quis dubitet? Inuenta autem lege clientelari interdum illos hoc Baronum, interdum liberorum Baronum vocabulo primum a clientibus ipsisque Comitibus distinctos fuisse memoriae proditum est, deinde, cum alii Principibus parerent, alii, sine quod nunquam aliter consueuerant, sine imperio Ducum excusso, Imperatori soli obsequerentur, alii tandem priuilegiis Imperatoris nudum Baronis nomen sine nobilibus praediis obtinuissent, diu, quod sufficeret, patrimonio, aut stipendiis fundisque militaribus atque ingenuis tantum contenti, quidam *liberorum* vocabulum, vel, vt a

Baronibus Ducum et Principum imperio subiectis neque potestatis in nobili dynastia iure agnationis participibus, vel, vt a nouis hominibus ex ingenuorum ordine oriundis maiorisque Baronum nobilitatis codicillos et nomen adeptis discernentur, verbo Dynastarum aut Baronum, quo antea solo appellati essent plerique, adiecisse videntur. Sed cum caeteri eiusdem nominis praerogatiua partim a Caesare essent donati, partim morem, ambitiose magis, quam iniuria, (veteribus enim dominorum et liberorum dominorum discrimen ignotum) imitarentur, denique Comitis titulus non tantum cum ipso beneficio hereditarius omnibusque a Comite descendentibus omnino communis euaserit, verum etiam multi ex ministerialibus et militibus noui Barones ac Comites Angustorum codicillis renunciarentur, qui quaque de causa petum factumque sit, vt ex istis maiorum gentium Comitibus plerique Principes, atque e veris illis, quos antiquitas solos nouerat, Baronibus partim Comites, partim Principes etiam crearentur, norunt omnes, rarissimosque esse inuentu Barones ex antiqua Dynastarum prosapia oriundos, neque alio, nisi liberorum dominorum elogio claros, doctores iuris publici vno ore fatentur. Alterum autem, quod diximus, equestris ordinis viros ex ingenuis militibus et ministerialibus ortos antiquo nobilium nomine non contineri, verum hoc nobilitatis elogium seculo demum XII. XIII. XIV et XV. sensim ac pedetentim sibi arrogare coepisse, nec accenseri illustribus, sed novum inter eos atque ingenuos, quem ignorauit antiquitas, quasi medium ordinem constituere, postulamus post tot viro- rum doctorum SCHEIDIJ ^{a)} inprimis, CRAMERI ^{b)} atque perillustri. STRVBENII ^{c)} praeclaras operas nobis sine probatione concedi.

§. X.

a) *libr. teutonice scripto de orig. super. atque infer. nobilit. in Germ.*

b) *de iur. et praerog. Nobilit. auitae. Cap. II.*

c) *Obs. iur. et Hist. Germ. I. Hor. subsf. T. III. Obs. 21. et. T. IV. Obs. 28.*

§. X.

Ex his iudicare debemus de matrimoniis Comitum Baronumque cum Regibus atque Principibus. Quamquam enim nullo tempore deferuit in Germania tuendae dignitatis ineundis coniugiis aequalibus studium, legumque, quas enarrauimus, veterum reliquiae Speculo Alemannico et Saxonico sint seruatae, denique etiam septem dignationis ciuilibus gradus, quos clypeos vulgo vocant ^{a)}, magna sollicitudine constituti, nae tamen vehementer erraret, qui ex eo, quod Dynastas et Principes, diuersum locum siue clypeum obtinere animaduertit ^{b)} Principis quoque cum Comitibus atque Baronis filia matrimonium vlllo tempore impar habitum esse contenderet. Eadem Principum et Dynastarum nobilitas, quanquam ordo diuersus. Neque ferenda est **BVRGEMEISTERI** sententia, Comites et Dynastas antiquitus minorum nobilium, Principes maiorum elogio compellatos temere statuentis ^{c)}. Publicis adeo Imperii legibus haec Comitum et Principum ratione nobilitatis aequalitas saepissime agnita. Sic lege Comitiali **CIOCCCCCLXVI.** promulgato commemorantur *Fuersten und Grafen, die denn im Reich Fuersten gemaeß gehalten werden*, et ne putes Comites principali dignitate intelligi, qui vellent ex eorum ordine bello sacro interesse, **Vlrico Grafeneggio**, tanquam supremo eorum duci aduersus Turcas, iubentur fidem adstringere. Quod si igitur Marchione **Vdone** ducente

- a) De his omnino vid. **SCHILTERVS** *Cod. Iur. Feud. Alem. et MOL-
LER. Prim. lin. vsq; pract. dist. feud. cui etiam calculum adiecit MA-
SCOVIVS Iur. Feud. cap. IV. conf. tamen Ill. BOEHMERVS l. I. et in
Princ. iur. feud.*
- b) *Ius Feud. Alemann. C. I. Iur. Prouinc. Sax. L. I. Art. Licet obser-
uare Repkoniium in hoc loco nexus beneficiarii rationem non habuisse.*
- c) *Ei responderet KOPPIVS de inf. differ. inter Imp. Comit. et Nobil.
immed. Sat. III. et ESTOR de Ministerialibus Cap. V.*

ducente in matrimonium Hermingarde, Helprici Comitis de Plocecke, vt ait ALBERTVS STADENSIS^{a)}, sorore, multum indignati sunt vasalli eius, qui pares erant Helprico et quidam maiores, id quidem, Vasalli Vdonis quantae et ipsi fuerint dignitatis, argumento est; caeterum istae nuptiae sine vlla iuris Germanici ratione impares crederentur. Neque de coniugii huius imparitate, quod scirem, aliquid traditum, sed id tantum ab Vdonis clientibus reprehensum narratur, quod tantae eminentiae Princeps non dignitatem ordinis aequae ac necessarias connubii leges obseruasset. Nolim enim eo confugere, vnde nonnulli causas huius indignationis deducunt, vt Comitem ex ingenuis ascendisse, igitur non nobilem, sed liberam tantum eius sororem extitisse, coniciam. Quam sane sententiam nimis facile est, idoneis argumentis rerundere. Simul vero imparis matrimonii vocabulum non semper ad nobilitatis et iuris aequalitatem, sed et ad dignitatis ordinisque discrimina nonnunquam referri obseruaueris, nihil in altero loco ALBERTI ARGENTINENSIS,^{b)} quem per illustre STRVBENIUS^{c)} attulit, aut obscuritatis aut difficultatis offendet. Is quidem: Idem Comes (de Medeburg) iuuenis et elegantis formae, tempore obsidionis apud Kales in seruitio Franci existens, et relictam quondam Domini de Kussi, filiam quondam Ludolphi Ducis Austriae visitans, et praehabitis pluribus internunciis cum ea inscio patruo matrimonium contrahens, ipsius Alberti patrum (dolentis eam cum impare contraxisse et forsan timentis, se per ipsum Comitem super hereditate vexari) indignationem incurrit. Scilicet impar visus maritus, non, quod nobilis haud videretur, atque in illustri loco constitutus, sed quod illius et familiae eius splendor non erat cum Ducum Austria-

c) an. 1143. p. 273.

a) ad an. 1348. p. 149.

b) l. l. ii.

Austriacorum amplitudine et gloria comparandus. Nam de ipsis Principum nuptiis cum Comitum et Dynastarum e veterere profapia oriundorum, in primis immediatorum Imperii Procerum dignitatem tuentium fillabus vix opus est plura dicere, cum exempla Regum Principumque potentium, quibus eiusmodi coniugia iusta fuerunt atque felicia, apud omnium seculorum scriptores commemorentur. Nec dubium, quin nata Comitum Dynastaeue in Regis aut Principis matrimonio collocata, quamquam nouis titulis ab Augusto non imperratis, Reginae vel Principis nomen in Germania etiam adipiscatur. Nullum, quod sciat, exemplum dari, quod Comitum filia Principi nupta Princeps fuerit ab Imperatore creata, praecclare professus est GEORG. MELCH. LVDOLPHVS. ^{a)} Nec mirum autem iuris publici ratione alienum habetur, Celsissimarum vel Serenissimarum Principum titulum Comitibus cum Principe connubio iunctis stylo curiarum Germaniae impertiri, ^{b)} cum et per alias occasiones promiscua nonnunquam Principum et Comitum appellatio vsurpata sit. ^{c)} Quemadmodum vero Comitum nata ipso Principis matrimonio honores et dignitatem mariti consequitur, ita vidua quidem hanc retinet, sed ad secundas nuptias coniugis inferioris progressa, quis dubitet, quin nomina prioris mariti amittat? Quod quidem extra controversiam magis est, quam Principalis dignitatis vsura in femina Principe Comitum Dynastaeue nupta propter ea, quae habet LVDOLPHVS ^{d)} perpetui iuris Germanici videatur. Verum enim ipse LVDOLPHVS singulares rationes exposuit, quae Gulielmum Saxoniae Ducem permouere potuerint ad Catharinam Brunsvicensis Philippo

a) de iur. fem. illustr. Sect. I. §. IX. n. o.

b) EYBEN de tit. Nobilis §. VII. CHR. GVL. EYBEN de stylo curiae §. XI. morem scribendi hunc docet: der Durchlauchtigsten Fuerstin, Frauen N. vermaehltten Herzogin zu N. gebohrner Graefin zu N.

c) C. G. EYBEN l. c. §. XIII.

d) l. c. XII. n. b. b.

Comiti Schwarzburgico nuptam solemnem inter Principes verbo *Eure Liebden* non compellendam, neque sine exemplo esse adicit, Principibus quoque a Principibus Gratiae non Amoris vocabulum *Eurer Gnaden* loco *Eurer Liebden*, compellationibus honorificis impertiri. Itaque nullum plane exemplum afferri potest *) ubi Princeps femina in Comitis matrimonio collocata natalium suorum dignitatem atque existimationem publice imminuerit.

§. XI.

Hoc igitur iure vitimur, ut Princeps cum Comitis aut Dynastiae immediati filia matrimonium impar contraxisse non videatur. Quod si Principis vxor mediatum Comitem Baronemue parentem habet, sunt, qui de istius connubii paritate dubitent. Sed ista fere deliberatio eo redit, ut nolint Principem Imperii e nouis Comitum Baronumque gentibus, quae sint ab ipso Augusto Imperiique Vicariis, aut a Principibus Austriae, Comitibus Palatinis, Ducibus Sabaudiae ^{b)} aliisque, quibus praeter hos ea potestas siue olim fuit, siue nunc est, ad insignem istum nobilitatis gradum nuper euectae, et quorum maiores in ministerialium locis, caeterorumque ingenuorum subsellii antea delituerint. Qui si nondum Dynastiam aut Comitatum Imperii consecuti sint, imparis ipsis nobilitatis, neque meliori iure, quam nobiles ex equestri ordine esse videntur. Igitur cum Henrici Misniae Marchionis nuptiae cum Elisabetha Maltitia, Friderici Palatini cum Tettin-gia, Friderici Lignicensis cum Sitschia, Ottonis Luneburgensis cum Campia, aliaeque eius conditionis complures ^{c)} ab agnatis improbatae legantur, et liberi ex iis procreati plenitudine hereditarii iuris caruisse, ^{d)} ex quo in hanc legem consenserint Carolus VII. Augustus ^{d)} atque infecuti Imperatores, ne nouae nobi-

a) *consent.* MYLER AB EHRENBACH *Camol. Princip. C. XXV §. 24. ff.*

b) *v. Bar. de BIRAN D. de iure Baronum ap. LVNIGIVM Thef. Iur. Com. et Dynast. p. 365*

c) *plerarumque facta recensuit MOSERVVS Iur. P. Germ. L. XIX. C. III.*

d) *Capit. Caroli VII. art. XXII. §. 2.*

nobilitatis dignitatisque collatio de iure agnatorum, simul iueffitorum, aut caeterorum, quibus succedendi in ditiones Imperii spes esset, citra ipsorum consensum valeret vnquam detrahere, illi quidem consequens esse dicunt, vt omnibus eiusmodi Comitibus atque Baronibus, qui superioris nobilitatis nomen Imperatorum indulgentia sine re promeruerint, nullum sit cum Ducibus atque Principibus connubii ius, verum splendida tituli praerogatiua vtantur, caeterum autem ipsorum iura magis ex origine, quam ex nomine veniant aestimanda. In quam confirmandam opinionem etiam hoc addunt, ignobiles tantum non omnes, qui nobilitatis titulos appetant, Baronum hodie, quin paruo tempore interiecto etiam Comitum nomina adipisci. Sane vt de ea re Imperator consensu Optimatum constitueret, dudum optabile visum. Quod cum adhuc factum non sit, liceat, quod vero similius videatur, ingenue eloqui. Mihi quidem, quod et Celeb. MOSE RVM iudicare video, primum inter eas personas, quae ante coniugii cum Principe in eundi votum superioris nobilitatis priuilegium impetrauerunt, atque illas, quibus matrimonii causa ea indulta sunt, deinde inter Comites et Barones, tandem inter varias etiam causas, ob quas in maternae originis nobilitatem inquiritur, huius rei erga distinguendum esse videtur. Nam si cuius parens, aut atus, maioresue Comitum honores citra vllum imparis matrimonii emendandi consilium consecuti sunt, cur Principis cum ea femina coniugium non habeatur legitimum, e legibus atque historiis Germaniae fateor me non intelligere. Neque video, quid comitatus aut dynastiae possessionem desiderent eruditi, cum nullo non tempore Principes in Comitum, qui equestria tantum praedia possederunt, matrimonii vel filias suas collocauerint, quas tamen difficilius iungi inferiori marito, quam virum illustrem imparis conditionis coniugi leges antiquae satis ostendunt. Prudentis saepe consilii esse, vt maiores Principes ab affinitati-

bus istis abſtineant, non diſſiteor. Verum non omnia, quae par eſt, a cordatioribus diſſuaderi, ab ipſis etiam legibus improbantur. Exemplum nuptiarum deſidero Principis cum talis Comitis filiã, quae effectibus ciuilibus vnquam caruerint, e quibus procreati liberi a ſucceſſione in regiones paternas et beneficia maiora ſint excluſi. Nam, quae de matrimoniis ad morganicam contractis afferuntur, ea non debemus exiſtimare ad contrariam opinionem approbandam idonea, niſi etiam omnes Comitum illuſtriſſimo loco natarum cum Principibus nuptias contra omnem Germaniae morem volumus iniuſtas habere. Vbi vero inferioris ordinis nobilem aut plebeiam ſibi iunxerit, vel iunſcturus ſit Princeps, impetrato Comitis titulo matrimonium ſine agnatorum et ſimul inueſtitorum conſenſu, iuſtum non reddi, et ipſa lege regia diſerte ſtatuitur, et patriae moribus conſentaneum eſt. Verum enim iſtam de Comitibus nuper creatis propoſitam regulam in nouis Baronibus vix valituram opinor. Offecit nomini gerentium multitudo, et iſti veri ex antiquis Baronibus oriundi Dynaſtae, quantumuis Comitibus parum abſimiles habeantur, hos tamen, qui nunc creantur, vel Imperatorum beneficio a duobus ſeculis amplius facti ſunt, nouimus, communi quadam exiſtimatione quaſi aliquod medium genus inter ſuperioris atque inferioris nobilitatis ordinem conſtituere. Nihil quidem certi de Principum cum his connubio aut lege, aut moribus deſinitum. Mores tamen in partem negantium videntur ſenſim ac paullatim concedere. Marchionum Brandenburgicorum et Comitum Zolleranorum conuentionem laudauit MOSERVS, quae anno huius ſeculi VII derogauit pactis an. MDIOCLNXXXV, ob eandem rem initis, et cum his quidem Principibus Zolleranis facultas ducendae Baronis filiae, ad cuius gentem Baronatus Imperii perueniſſet, indulta eſſet, nihilominus, vt omnia in poſterum Comitum ac Principum Zolleranorum cum feminis loco Comitum et dignitate inferiori-

rioribus iniusta atque imparia haberentur, prospexit. In primis vero pacti verba, in quae Serenissimi Saxoniae Duces cum Principibus Anhaltinis anno huius seculi XVII. conue-
runt, memoratu dignissima sunt. Quis enim, praeclarum antiquae paribus coniugiis dignitatis et gloriae tuendae exemplum, quod Serenissima Domus Saxonica omnibus Imperii Principibus praecit, Germanorum usquam ignorat? Illi vero, si fides MOSERO^{a)} est, huius sibi promissi inuicem adstrinxerunt fidem: *Wollen dieselben sambt und sonders in ihren Testamenten und Pactis domus aufs nachdruecklichste verbieten, das ihre Prinzen mit nicht geringeren als Reichsgraeftlichen Standes-Personen sich vermehlen.* Caeterum publica lege recentioribus quoque Baronibus, quibus quorumue gentibus Dynastia vel mediata vel immediata nondum obigit, ius connubii cum Principibus haud ademtum esse, nemo ignorat. Sicuti vero de vxorum et liberorum dignitate ac succedendi iure non quaeritur, de quibus quid sentiam, ex antecedentibus liquet, velintque Principes Capitularium collegiis forte talibus accenseri, qualia etiam Principum nobilitatem certo illustrium numero probatam exigant, (quanquam in Principibus hanc probationem usquam desiderari vehementer dubito) maternam originem, propius, quam par sit, ab inferioris nobilitatis auo vel maioribus repetitam, his quoque in ea re obfuturam esse largior.

§. XII.

Quo magis igitur Comites et Dynastae ad auitae nobilitatis probationem in multis Ecclesiarum Germanicarum capitulis adstringuntur, eo diligentius etiam illi matrimonium cum Comitibus aut Baronis filia maiorum e superiore nobilitate aut paucis, aut nullas imagines ostensura vitare debent ac solent. Verum ubi de iure succedendi liberis tribuendo quaestio est deque mariti fortuna et dignitate cum coniuge communicanda, quibus duabus rebus legitimi connubii ius cernitur, vi-

E 3

dentur

a) I. I. §. 83.

dentur Comites Baronesque in isto antiquo more ancillas tantum et minus plenae libertatis homines a coniugiis suis arce-
 cendi perseverasse, neque publice imparem existimavisse inge-
 nuæ mulieris ullam conditionem. Nisi in filiabus eorum
 equestris aut plebei ordinis viros nactis nonnullam matrimo-
 nii inaequalitatem apparere contendas, quem maxime maio-
 rum nostrorum sensum fuisse diximus. Nam primum, ut ab
 hoc ordiar, nescio, an uniuerse verum sit, quod aliqui scri-
 bunt^{a)}, Comitem nuptam equiti originis nomen ac titulos,
 aequæ, ac Imperii Principem in Dynastæ aut Comitis matrimo-
 nio collocatam, præ maritalis dignitatis vocabulo usurpare.
 Quod receptæ in provinciis passim Germanicis atque in ipsa
 Saxonia nostra consuetudini aduersatur. Præter ea non ausim
 decernere, quos liberos mater illustris parenti quidem inge-
 nuo, verum inferioris nobilitatis, siue honestiori de plebe pe-
 pererit, eos in Imperii Dynastiis caeteroquin forte ad feminas
 aut certe ad nepotes ex filia transituris cum sobrino, qui pa-
 trem Comitem vel Baronem habeat, et cui conuentio nulla ob-
 sistat, ad æqualem successionem sine multa lire admissum iri.
 Sed rarior ea species, quam ut difficilem inspectionem prome-
 reat. E contrariò quam plurimis exemplis ostenderunt MANS-
 BACHIVS^{a)} atque STRVBENIVS^{b)}, progeniem Comiti Dyna-
 stæ ex matre inferioris nobilitatis nunquam agnatis aut simul
 inuestitis loco cessisse, sed maiora etiam beneficia æquo heredi-
 tatis iure acquisivisse. Ego vero animum induxi meum, hone-
 stioris quoque de plebe mulieris (*guten tapfern Herkommens*)
 cum Comite vel Barone coniugium iuris publici sensu non im-
 par futurum, nec liberos ex eo natos paternæ hereditatis ex-
 sortes fore. Quam quidem opinionem usu confirmatam exi-
 stimo. Etsi enim illustre exemplum laudat STRVBENIVS^{a)},
 quo

a) ap. LVNIGIVM Th. Iur. Com. et Dynast. p. 566.

a) de Matr. Principum et Comitum. p. 37. sq.

b) Hor. subf. T. V. Obs. 36. add. SCHEID de nobilit. p. 115. LVDPVVS l. l. Part. I. §. III. et MOSERVS l. l.

a) l. l. et T. IV. Obs. 23. de iure publico, quod Rudolpho I. imperante obtinuit.

quo fecus de talis connubii iure Rudolphi I. aetatem iudicasse appareat, eoque inprimis KOPPIVS atque Cel: ESTOR contrariae sententiae veritatem approbare studuerunt, recte tamen puto a BOEHMERO animaduersum, ea tantum de causa Hanouii Comitem Reinhardum, (de huius enim cum Munzenbergia matrimonio agitur) vt vxori atque liberis nobilitatis priuilegia Caesareis codicillis confirmarentur, curasse, ne ministerialis Imperii filia post patris etiam ab officio missionem nihilo minus Imperio nexa liberique eius ad eandem fidem adstricti viderentur. Vnde etiam intelligitur, cur Principum Electorum consensus interposita, quorum interesse visum, ne quid de Imperii iure nolentibus ipsis alienaretur. Is omnino nexus atque hoc ingenuorum virorum famulitium, deinde cura herorum et Principum, vt vasallorum et ministerialium filias plerumque ipsorum sumptibus alendas facilius elocarent, maioris aequalitatis causa est, quam seculo post Christum natum decimo et quarto insequentibus non tam publica lege, quam dominorum, quorum milites erant aut ministeriales, auctoritate Germani Proceres atque equites in ineundis matrimoniis obseruauere. Postquam vero alia rerum facies orta, nec tantum omne ministerialium et militum discrimen haberi desit, sed et feuda et ministeria inuenta lege successione in liberos atque agnatos transmitti, ideoque orbarum elocatio magis ad fratres Vasallos, quam ad dominos spectare coepit, illarum quoque liberior matrimonii, cum quo velint, ineundi facultas crebriores ex illustrissimo Comitum et Dynastarum ordine procos allexit. In proximorum profecto seculorum historiis haec Comitum et Dynastarum cum feminis inferioris nobilitatis coniugia frequentissima memorantur. Neque vllum Comitis cum plebeia honestioris parentis filia aut sententia summorum Imperii tribunalium aut publica adeo lege ad hunc vsque diem improbatum liberisque ex eo natis abiudicatam successionem nouimus. Nam quod de Catharina Gumpelia Antonii Ysenburgici vxore

affer-

affertur, magis id quidem videtur firmare regulam, quam euertere. Non enim, quod plebeia Gumpelia, sed quod seruilis originis esset, nec eam Antonius maritali affectione vxorem, sed voluptatis causa concubinam habuisset, negauerunt, ipsi Comitibus titulos, affectandi liberisque eius in paternis ditiones succedendi ius esse, agnati ^a). Verum aliorum Comitum, qui mulieres plebeias in matrimonium duxerint, nonnulla et superiore et nostro seculo clara nomina MOSERVS laudauit. Quibus omnibus argumentis colligimus, nondum eorum Baronumque cum plebeis honestae originis coniugia haberi omnium consensu imparia. Quae vero cum vilibus atque rusticis inirentur, hodierno etiam iure iniustas fore, dubio caret. Nec tum posse Imperatorem agnatorum, simul inuestitorum caeterorumque, quorum interit, ius restituendis natalibus contra ipsorum voluntatem imminuere, e noua lege conuentionis primum cum Carolo VII. ^b) et deinde cum successore eius, nec non hodierno Imperatore Iosepho II. Augg. firmatae perspicimus. Vtrum vero maxima Comitum et Dynastarum in matrimonii contrahendis libertas effecerit, vt formula noui pacti cum Carolo VII. Imp. ob coniugiorum imparitatem ineundi, quam Serenissimus Brunsvicensis praeiuerat, quia Comites Imperii nominatim complectebatur, caeterorum Nouemuirorum suffragiis destituta sit, ego non dixerim. Sane et frequentius esse Comitibus atque Dynastis et plerumque honestius, tam ingenuas de plebe, quam vbi ipsi insignium Germaniae territoriorum aut domini sunt aut coheredes, inferioris quoque nobilitatis virgines in matrimonio admorganaticam habere, quam vero et legitimo sibi conubio iungere, idoneis rationibus facile persuaderi potest. Quae splendidissimas familias ad coniugiorum licentiam pactis conuentionibus coercendam mouerunt.

a) MOSERVS *Iur. P. Germ. L. III. C. 102. §. 79.*

b) *Capitul. art. XXII. §. 2.*

ULB Halle

004 053 532


3



Handwritten signature or initials







P. 305,

1769/27

DE NVPTIIS
COMITVM ET BARONVM
OB CONIVGIS CONDITIONEM

INAEQVALEM INIVSTIS

ILLVSTRIS I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE
VT SIBI ADITVM AD

SVM MOS IVRISPRVDENTIAE HONORES

APERIAT

A. D. XXXI. IANVAR. CIOIOCCCLXIX

H. L. Q. G.

COLLOQVIVM CVM ERVDITIS HABEBIT

CHRISTIANVS CAROLVS KANNE

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

